

[466] (falsche Paginierung: 464), „Elogia Literaria“ Nr. XIII, zit. *MGH*; emendiert von M. A. S[tübel] in *Buchner: Poemata elegantissima* (HAB: P 1612b 8° Helmst.), 463–[466] (falsche Paginierung: 464), „Elogia Literaria“ Nr. XIII, zit. *MAS*. Vgl. *Dünnhaupt: Handbuch*, Art. Buchner Nr. 4.

In
THEODORICI von dem WERDER,^{a1}
Rensdorffi Toparchæ &c.
Bullionæum Tassianum.

- DUm furit, & sævo circumbacchata tumultu
Sangvineam Bellona facem moto incutit orbi [464]
Turbida, cognatasque in mutua praelia gentes
Miscet triste fremens, patriamque evertit, & atras
5 Per populos spargit clades; seu monte volutus
Cum ruit, & latos, torrens, effusus in agros
Diluvium diram exercet; WERDERIUS heros
In se animo conversus abit, &, bella remittens
Grandior, invigilat chartis, Tassique rescribit
10 Carmina Mantois² non inficianda Camenis:
Hetruscamque tubam³ patrii sermonis honores
Flare docet, magno par vati interpres, & ipse
Non impar vates: seu tot decora alta parentum,
Et priscis majorum annalibus edita penses
15 Nomina, seu dotes animi tot ab artibus aucti
Egregiis, venæque haud ullo exhausta labore
Flumina, Pierio manantia flumina melle.
Ille quidem magnas sibi dudum illustre per aulas
Emeruit nomen, cunctos cum laudis equestris
20 Impleret numeros, cuncta ornamenta togatae
Militiae æquaret meritis; quin fortis & acer
Haud minus in mediis non ultima gloria castris
Fulgeret ferretque ducem, geminamque coronam
Aptaret capiti pacisque & Martis alumnus;
25 Nunc tamen innocuos vitam traduxit in hortos
Partâ laude fruens, opibusque innixus avitis
Se colit Aoniosque choros, studiisque decoris
Solatur vacuas, sed non sine carmine, lucas.
Qualis post acies positus Vestrucius⁴ armis,
30 Et castris pariter totaque egressus ab aulâ, [463, recte: 465]
Componit placido senium sub rure, dapesque
Socraticas⁵ avidè sequitur, citharamque fatigat
Auratam numeris, quos edidicisse Platones,
Quosque suos ipsi cupiant perhibere Lepores.
35 Aut qualis strepitumque fori, litesque molestas